

PROGRESSIO GRAMMATICALIS CUM TEXTIBUS PURI SERMONIS
- secundum methodum Orbergianam in prima parte q.i. Familia Romana –

(PARS PRIMA - a cap. I ad X : de mundo)

Narrationes cursim legendae : mythologicae fabulae methodo accommodatae

CAP.I : TERRAE ET NATIONES (DESCRIPTIO MUNDI) *vel sempiterna Latinitas*
- Singularis et pluralis (nom.decl.I et II casu nominativo, ac verbi "esse" : est / sunt)

1) L.Annaei Senecae [Consolatio ad Helviam](#) matrem VII, 1, 2, 7.

2) Isidori Hispalensis [Etymologiarum liber XIV](#), II : de orbe.

=> Narratio cursim legenda : *Descriptio mundi humani*

=> Cultus Romanus : Tabula imperii Romani II° s.

=> Viva Latinitas : *Tabula orbis terrarum hodiernae*

CAP.II : ASTRA ET CAELUM (ASTRONOMIA / ASTROLOGIA – SCIENTIA / FABULA) *vel quomodo adhuc nunc supersint dei Romani !*
- Masculinum, femininum et neutrum (sg et pl casu nom. et genetivo)

1) Firmici Materni [Mathesis, liber II](#), I, 1-3 et II, VI, 2-13 (primae sententiae).

2) Nicolai Copernici [Commentariolus](#) : petitiones I, II, III ; de ordine orbium.

=> Narratio cursim legenda : *Descriptio universi in Graecorum et Barbarorum mythologiis*

=> Cultus Romanus : Familia deorum Romanorum (imagines) ac septem dies hebdomadae.

=> Viva Latinitas : *Quid est ? (hic / haec / hoc est...) sive de instrumentis scholaribus*

CAP.III : ORIGO MUNDI (MYTHOLOGIA / THEOLOGIA) *vel Latinitas antiqua versus christiana*

- Nominativus et accusativus singularis nominum fem. et masc. (decl. I et II)

- Tertia persona singularis verborum exeuntium in –at / -et / -it.

1) Primi Mythographi Vaticani Liber II, 1 : [Fabula Saturni et eius filiorum](#).

2) Hieronymi Vulgata (editio), [Liber Genesis, I, 1-31 \(excerpta\)](#).

=> Narratio cursim legenda : *Bellum inter deos et Titanes (Titanomachia)*

=> Cultus Romanus : origo divina gentium Romanarum - tria nomina Romana

=> Viva Latinitas : COMMERCIIUM EPISTULARUM I : *de familia et nominibus et praenominibus.*

CAP.IV : ORDO MUNDI HUMANI

- Vocativus singularis nom.fem. et masc.(decl. I et II) / imperativus et indicativus (sg)

- Quattuor coniugationes Latinae

1) [Evangelium sec. Matthaeum, VIII, 5-11](#)

2) Alcuini diaconi [epistula Aethelredo regi \(excerpta\)](#)

=> Narratio cursim legenda : *Duodecim Herculis aerumnae – de Amazonibus et barbaris*

=> Cultus Romanus : Dei / homines – magistri / servi – victores / victi – mariti / uxores...

Cf **Epistula ad Ephesios, 5,22 ad 6,9, cet.**

=> Viva Latinitas : *iussa quotidiana*

CAP.V : HISTORIA SAECULORUM

- Accusativus numero singulari et plurali nom.fem.masc.neutrorum (decl. I et II)
- Ablativus numero singulari et plurali
- Imperativus (persona II) et indicativus (persona III) numero singulari et plurali

1) **Auli Gelli Noctium Atticarum liber XVII, 21, 3 : de Homero et Hesiodo.**

2) **Chronicon Leodense anno 1402 (excerptum).**

=> Narratio cursim legenda : *De Saturno in Italia et Aureo Aevo / Adam et Eva*

=> Cultus Romanus : Praecipua tempora Romanae historiae (tabula)

=> Viva Latinitas : *Anniversarium et aetas (quando natus es ? Quot annos natus es ?)*

CAP.VI : EXPLORATIO MUNDI

- Complementa loci cum aut sine praepositione et locativus
- Verbum activum et passivum (persona III numero singulari et plurali)
- Ablativus agentis instrumentique

1) **L.Annaei Senecae Suasoriae I, 1 et 3 (excerpta)**

2) **Christophori Columbi epistula (excerpta).**

=> Narratio cursim legenda : *Fabulae diluvii (de Deucalione et Noe)*

=> Cultus Romanus : Quattuor tabulae :

1) *Explorationes antiquae terrae (imperium Alexandri) marique.*

2) *Viae in imperio Romano s.II°*

3) *Viae ad Compostellam* => **Libri peregrini excerpta : quattuor viae ad Compostellam**

4) *Explorationes medievali tempore ad Americam (a Normannis) et Seres (XIII° s.)*

=> Viva Latinitas : *Ubi habitas ? Quomodo iter facis inter domum et scholam ?*

CAP.VII : HABITATIONES

- Dativus (nom.masc.fem.neutrorumque decl. I et II) numero singulari et plurali.

1) **Senecae philosophi Epistulae morales ad Lucilium, LXXXVI (de Scipionis balneolo)**

2) **Campanellae Civitas Solis : excerpta de communi habitatione et fluenti aqua (1613)**

=> Narratio cursim legenda : *De palatiis deorum (Olympo...) hominumque. Origo Troiani belli : Discordia.*

=> Cultus Romanus : imagines domus et insulae Romanae

=> Viva Latinitas : *COMMERCIIUM EPISTULARUM II : Ubi habitas ? In qua habitatione (tabula habitationis) ? Ubi est schola ? Quomodo iter facis inter domum et scholam ? Cet.*

CAP.VIII : CIVITATES

- Pronomina "quis", "qui", "is", "ille" omnibus casibus.

1) **Martialis Epigrammatum liber XII, 57 (excerpta) : Urbs terrestria**

2) **Apocalypsis Ioannis cap.XXI, 19-23 : Ierusalem caelestis**

=> Narratio cursim legenda : *Civitates regesque in Bello Troiano induti.*

- => Cultus Romanus : tabula civitatis forumque Romanum (Republica exeunte) (cf cap.XIX)
=> Viva Latinitas : *Quid potes emere in foro ? Quanti constat ? (Ludus imaginum)*

CAP.IX : RURI

- Declinatio I et II et III (pastor, oris / ovis, ovis) omnibus casibus.

1) **Virgilii Georgicorum liber II, v.457-461 / 466-473.**

2) **Alani Insulensis (Alain de Lille) Anticlaudianus, IX, 384-386 / 399-409. (ca 1180)**

=> Narratio cursim legenda : *De naturae numinibus (Panibus) ; Paris Priami filius pastor.*

=> Cultus Romanus : villa Romana

=> Viva Latinitas : *de muneribus (= > ludus septem familiarum !)*

CAP.X : BESTIAE ET HOMINES

- Infinitivus activi et passivi (coniugationis I et II et III et IV et verbi "esse").

1) **C.Plinii Caecilii Secundi Epistularum liber IX, 33 : de delphino coloniae Hipponensis .**

2) **Vita Sancti Columbae: de cuiusdam aquatilis bestiae repulsione (in lacu Loch-Ness)**

=> Narratio cursim legenda : *De marium fluminumque numinibus ; Neptunus murorum Troianorum structor : Belli Troiani causa (Helena rapta).*

=> Cultus Romanus : Imagines Romani animalium (cf infra textus 2 cap.XVII)

=> Viva Latinitas : *De rebus athleticis - De animalibus virtutibus suis homines superantibus.*

Conclusiones huius partis : cantica **Sermo noster est Latinus / Vivat Latinitas**

(PARS ALTERA - a Cap. XI ad XIX : de artibus humanis)

Narrationes cursim legendae : mythologicae fabulae

CAP.XI : ARTES HUMANAЕ (1) : MEDICINA

- Declinatio III (neutra nomina : corpus, flumen, mare, animal)

- Accusativus cum infinitivo.

1) **A.Corneli Celsi Artium liber VI item Medicinae primus (prooemium)**

2) **E Comedia a Molière scripta q.i. Le malade imaginaire tertium intermedium (1673)**

=> Narratio cursim legenda : *De Aesculapio ; Lucina ; Diana ; Iphigenia.*

=> Cultus Romanus : Medicina antiqua, quattuor elementa et temperamenta.

=> Viva Latinitas : **COMMERCIIUM EPISTULARUM III : *Quid tibi placet agere extra scholam ?***

CAP.XII : ARTES HUMANAЕ (2) : BELLUM AGERE

- Declinatio IV (genere masculino et feminino)
- Adiectiva declinationis I et II et III (cum nominibus omnium declinationum)
- Comparativus

1) **P.Vegeti Renati** [Epitoma rei militaris](#)

2) **Iuliani Toletani** [Historia Wambae regis de expeditione et victoria](#)

=> Narratio cursim legenda : *Mars et Vulcanus ; belli Troiani finis.*

=> Cultus Romanus : exercitus et miles Romanus

=> Viva Latinitas : *Ludi imaginum comparandarum*

CAP.XIII : ARTES HUMANAЕ (3) : ARITHMETICA

- Declinatio V (*mensurae annorum, dierum, cet. : gnomon, horologia...*)
- Superlativus

1) **Boethii** [Institutio Arithmetica, I, 4,1.](#)

2) **Renati Descartes** [meditatio I, 8.](#)

=> Narratio cursim legenda : *Daedalus ; de Graecorum et Barbarorum scientia.*

=> Cultus Romanus : Kalendarium et horae Romanae (**Erhardi Vita Karoli Magni, XXIX**)

=> Viva Latinitas : *Quota hora est ?*

CAP.XIV : ARTES HUMANAЕ (4) : PHYSICA ET MECHANICA

- Participium praesens (coniugationis I, II, III, IV) (*homo avem volantem videt et ipse vult volare, cet...*)
- Declinatio V (res)

1) **T.Lucreti Cari de rerum natura liber I, 265-279 / 285-286 / 290 / 295 / 298-304.**

2) **Francisci Bacon Novi Organi liber II, XLVI : de radiis (excerpta).**

=> Narratio cursim legenda : *Daedalus et Icarus*

=> Cultus Romanus : de Archimedi et Romanorum machinis.

=> Viva Latinitas : *Qualis est tempestas ? De tempestatibus anni IV temporum.*

CAP.XV : ARTES HUMANAЕ (5) : INSTITUTIO ET LITTERAE

- Sex personae verbi (tempore praesenti et modo activo)

1) **C.Plinii Caecili Secundi epistularum liber IV, 13**

2) **Ricardi de Bury, Philobiblon cap.1 (excerpta) : "O libri..."**

=> Narratio cursim legenda : *Apollo et Musae ; de Homero et Virgilio (cf cap.seq.)*

=> Cultus Romanus : Scholae in Imperio Romano

=> Viva Latinitas : *COMMERCIIUM EPISTULARUM IV : Quid tibi placet agere intra scholam ? Quibus studes ? Quid censes de variis disciplinis ? Quae praefers ?*

CAP.XVI : ARTES HUMANAЕ (6) : NAVIGATIO

- Verba deponentia (persona III singulari pluralique et infinitivo)

1) **Phaedri fabularum liber IV, 14 (Gubernator et Nauta)**

2) **Navigatio Sancti Brendani cap. V et XI (excerpta)**

=> Narratio cursim legenda : *Ulixis et Aeneae itinera*

=> Cultus Romanus : *Viae navales in Imperio Romano. Naves antiquae.*

=> Viva Latinitas : *Hodierni modi itineris faciendi : navis subaquanea, aeroplanum, rucheta*

CAP.XVII : ARTES HUMANAE (7) : MAGISTRATUS ET POTESTATES

- Sex personae verbi passivi

1) **Liber memorialis XLVI (de Rebus publicis)**

2) **Ludovici Holberg e libro q.i. Niels Klim cap.XI, 25-28 : navigatio in Terras Paradoxas**

=> Narratio cursim legenda : *Ulixes et cyclops*

=> Cultus Romanus : **Liber memorialis XLIV (de Comitibus)** – de cursu honorum.

=> Viva Latinitas : *De magistratibus et potestatibus in Unione Europaea / in Foederatis Civitatibus Americae ?*

CAP.XVIII : ARTES HUMANAE (8) : PICTURA ET SCULPTURA

- Adverbium (et comparativus superlativusque adverbii)

- Praesens et praeteritum (imperfectum)

1) **Cetii Faventini de domo privata.**

2) **Petri Martyris Anglerii Oceanae decadis liber IX, 19**

=> Narratio cursim legenda : *Venus, Enea et Dido (cf illustratio), Carthago*

=> Cultus Romanus : exempla typica variis saeculis conficta

=> Viva Latinitas : *De gustibus et coloribus non est disputandum.*

CAP.XIX : ARTES HUMANAE (9) : ARCHITECTURA

- Tempus praeteritum imperfectum activi et passivi (omnibus personis)

- Comparativi superlativique peculiares

1) **Mirabilia urbis Romae, XXIII (de diversis locis - excerpta)**

2) **Pogii Romae ruinae**

=> Narratio cursim legenda : *Origo et reges Romae. Eorum opera in Urbe.*

=> Cultus Romanus : architecturae et ornatus antiqui ; ab architectura Romana ad Romanicam ; tabula Romae s.III^o (*ante fabulam romanicam sequentem*).

=> Viva Latinitas : *COMMERCIIUM EPISTULARUM V : [quid censes de magistris tuis ?](#)*

Conclusio huius partis : **T. Lucreti Cari de rerum natura liber V, 1448-1457**

(Cap.XX ad XXIX : de vita humana)

*Narrationes cursim legendae : romanica fabula a methodi scriptoribus exarata
(fabula criminalis quae Romae agitur ?)*

CAP.XX : PARENTES ET LIBERI

- Tempus futurum activi et passivi

1) Tulli Ciceronis epistula ad Familiares, XIV, 4

2) Des. Erasmi Colloquium Familiare III, 1

=> Cultus Romanus : De vitae aetatibus

=> Viva Latinitas : *de festis et muneribus*

CAP.XXI : HOMINES ET DEI (CULTUS RELIGIOSI)

- Declinatio IV (genere neutro)

- Praeteritum perfectum activi et passivi

1) Actus apostolorum, 14, 8-15

2) Quoddam excerptum e Reformatis litteris de imaginibus abolendis ?

=> Cultus Romanus : Comparatio dispositionis templi Romani ecclesiaeque Christianae

=> Viva Latinitas : *De fidibus earumque aedificiis hodierno tempore*

CAP.XXII : DIEM AGERE

- Supinum (exeuns in -tum et in -tu)

- Ablativus absolutus

1)

2) Noël de Berlaimont / Cornelius Valerius, *Vocabulare* (1551) [cf. art. de Charlet].

=> Cultus Romanus : de thermis et thermopoliis

=> Viva Latinitas : *quomodo diem agi potest ? Quomodo diem ages ?*

CAP.XXIII : JUSTITIA

- Participium et infinitivus futuri (activi et passivi)

1) Ciceronis In Verrem actio II, LXII (161-162) : de Gavii supplicio.

2) Epistularum Iohannis Hus excerpta

=> Cultus Romanus :

=> Viva Latinitas : *Canticum per aetates : Thomas de Celano "Dies irae, dies illa" (audiri potest canticum modo gregoriano, deinde versionem a Mozart confectam, denique musicam a Berlioz compositam in La Symphonie fantastique.)*

CAP.XXIV : AMICITIA, VITA ET MORS

- Plusquamperfectum (activi et passivi)

1) C. Plinii Caecili Secundi epistularum liber V, 16 : de Fundani filiae morte (excerpta).

2) Augustini Confessiones, IV, 3 : de mortuo amico.

=> Cultus Romanus : De funeribus et epitaphiis (*cf Reading medieval Latin p.117*)

=> Viva Latinitas : *COMMERCIIUM EPISTULARUM VI : quid egi inter recentiores ferias ? Cum quibus amicis ?*

CAP.XXV : AMOR (1 ?)

- Imperativus verborum deponentium

1) Apulei fabula de Psyche et Amore

2) Canticum canticorum (excerpta)

=> Cultus Romanus : De matrimonio

=> Viva Latinitas : Cantica amoris et amicitiae

CAP.XXVI : AMOR (2) ?

- Gerundium

1) Quidam Ovidii sive Catulli textus (Amores, lib. I, praesertim 9, 1-30 ?)

2) Heloïsa prima epistula ad Abaelardum (excerpta)

=> Cultus Romanus : De claris paribus in Romana Historia. Cf **Iohannis Boccatii, de mulieribus claris.**

=> Viva Latinitas : Vocabula animi motuum ? Cantica amoris et amicitiae (2) ?

CAP.XXVII : HOMINES LIBERI ET SERVI / DIVITES ET PAUPERES

- Modus coniunctivus (tempore praesenti) activi et passivi.

1) Catonis de re rustica, II

2) Ioannis Lodouici Viuis ... De subuentione pauperum...Parisiis, 1530

=> Cultus Romanus : **de populi Romani distributionibus (Liber memorialis XLV)**

=> Viva Latinitas : Vocabula pecunaria

CAP.XXVIII : LUDI ET FERIAE

- Modus coniunctivus (tempore imperfectum) activi et passivi.

1) Suetonii excerpta de naumachiis ?

2) Sancti Augusti confessiones, VI, 8, 13 : de Alypio gladiatorum spectaculo capto ?

=> Cultus Romanus : de amphitheatro et circo et theatro

=> Viva Latinitas : *COMMERCIIUM EPISTULARUM VII : Quid speras ut agas proximis feriis / proximo anno ? Quid sperabas priore anno ?*

CAP.XXIX : FORTUNA

- Ut / ne cum coniunctivo (tempore praesenti et imperfecto) – praepositio "ut"

- Ita (tam, tantus)... ut...

1) Oratio Pauli de fortuna sua in T.Livii libro XLV (coniunctio "ut").

2) Pacta et constitutiones legum libertatumque Exercitus Zaporoviensis (1710).

=> Cultus Romanus :

=> Viva Latinitas : *Canticum En luna iam est orta - Canticum Gaudeamus igitur*

(De cap.XXX ad XXXIX / XL : genera litteraria)
Narrationes cursim legendae : historia Apollonii regis Tyri (s. V^o)

In hac ultima parte inveniri oporteat non solum omnes clarissimos scriptores qui nondum ante occurrerunt sed etiam scriptores nationum Europearum quae nondum in priorum capitulorum indice apparuerunt, quantum sane hoc fieri possit. Praeterea in hac quarta parte discipuli saepius utentur talibus exercitiis structuralibus qualia Claudius Fievet optima et novata ratione produxit. Hic quoque lectio et critica comparativa (per aetates) quae dicitur acutius cernetur.

Praeterea primus Iohannis Orberg liber finem invenit in cap. XXXIV (nisi Donati tractatum de arte grammatica numeratur). Itaque nobis incumbat ut usque a cap. XXXV argumenta grammatica et acquirenda decernamus. Eo igitur majore libertate Claudius Fievet primus ad ultimas libri nostri revisiones et exercitationes utatur.

Denique, quod ad paginas q.i. Viva Latinitas attinet, in mentem mihi venit hodierna exempla omnium horum generum edi posse, si modo omnia sub recentissimorum Latinistarum calamo inveniri possint.

CAP.XXX : FABULA MILESIA (Francogallice "le roman")
- Futurum perfectum modi indicativi (activi et passivi)

1) Petronii Trimalcionis Cena (excerpta)

2) Historia Apollonii regis Tyri (incipit)

= > Cultus Romanus :

= > Viva Latinitas :

CAP.XXXI : ORATIO (discours judiciaire)
- Adiectivum gerundivum

1) M.Tullii Ciceronis quoddam excerptum (In L.Catilinam)

2) Baldrici de Bourgueil in Historia Hierosolymita : Urbani II oratio (1095) ?

= > Cultus Romanus :

= > Viva Latinitas :

CAP.XXXII : HISTORIA (1) : CLASSIS ROMANA (*ut in methodo Orbergiana*)
- Modus coniunctivus (tempore perfecto) activi et passivi

1) Titi-Livii excerptum (de navalibus pugnis ad Siciliam)

2) De Normannis :

- Breve chronicon Northmannicum

- Adami Bremensis Descriptio insularum aquilonis

= > Cultus Romanus : Victoriae et clades navales.

= > Viva Latinitas :

CAP.XXXIII : HISTORIA (2) : EXERCITUS ROMANUS (*ut in methodo Orbergiana*)

- Modus coniunctivus (tempore plusquamperfecto) activi et passivi

- Imperativus futuri

1) I.Caesaris excerpta : de Gallis, Belgis, Germanis (Bellum Gallicum, I, 1), Brittanis (B.G.IV, 25)

2) Guillelmi de Poitiers, Guillelmi ducis Normannorum gesta : Hastings (1066)

=> Cultus Romanus : Auctio et destructio imperii per victorias et clades.

=> Viva Latinitas :

CAP.XXXIV : DE ARTE POETICA (1) : POESIS LYRICA (*de pace*)

- De versibus

1) Albii Tibulli elegia I, X : laus pacis

2) Planctus destructionis regni Hungariae (excerpta)

=> Cultus Romanus : De templo Iani ; de Ara pacis (cf **Ovidii Fasti, I, 709**) et pace Romana

- opera Augusti (**Augusti imperatoris Res gestae, 26**)

=> Viva Latinitas : **Hermanni Weller Theodisci Ara Pacis (1938), 70-90.**

CAP.XXXV : DE ARTE POETICA (2) : SATURA

1) Iuvenalis satura VI, 434-458 : contra doctas feminas

2) Poggii Bracciolini facetiae ? De Vita monachorum : femina ? (cf a Latin reader, p.148)

=> Cultus Romanus :

=> Viva Latinitas :

CAP.XXXVI : DE ARTE POETICA (3) : COMOEDIA

1) Plauti aut Terentii excerptum

2) Caroli Porée Caecus Amor (XVIII° s.)

=> Cultus Romanus :

=> Viva Latinitas :

CAP.XXXVII : DE ARTE POETICA (4) : TRAGOEDIA

1) Senecae excerptum

2) Hrotsvithae de Gandersheim Dulcitus (X° s.)

=> Cultus Romanus :

=> Viva Latinitas :

CAP.XXXVIII : DE ARTE POETICA (5) : POESIS EPICA

1) M.Annaei Lucani Pharsalia ?

2) Alexandreis, 9, 525-544.

- = > Cultus Romanus :
- = > Viva Latinitas : **Kalevala in Latinum redditum a T.Pekkanen.**

CAP.XXXIX : LITTERAE ET AUTOBIOGRAPHIA

- 1) **S.Hieronimi epistula ad Eustochium (ep.XXII, 30)** (*cf a Latin reader p.8-9*)
 - 2) **Petrarchi ascensus Ventosi montis**
- = > Cultus Romanus :
 - = > Viva Latinitas :

CAP.XL : PHILOSOPHIA

- 1) **M.Tullii Ciceronis Somnium Scipionis**
 - 2) **Thomae Mori Utopia**
- = > Cultus Romanus :
 - = > Viva Latinitas : **Iohannis Jaures Francogalli de primis socialismi Germanici lineamentis apud Lutherum, Kant, Fichte et Hegel, I : de Luthero.**

FINIS LIBRI

CAPITULUM I: TERRAE ET NATIONES (DESCRIPTIO MUNDI)
vel sempiterna Latinitas

1) L.ANNAEUS SENECA (Seneca philosophus): Consolatio ad Helviam (VII, 1-2, 7)

In hoc libri loco, Seneca primum caelum ostendit, deinde terram humanasque nationes. Contrarium facit nostra methodus ! Confer haec anteriora verba, in cap.VI : "7. Aspice sidera mundum inlustrantia: nullum eorum perstat. (...) 8. Omnia volvuntur semper et in transitu sunt (...)."

1. [A caelestibus](#) agedum te ad humana converte : videbis gentes populosque universos mutasse sedem. Quid sibi volunt in mediis barbarorum regionibus **Graecae** urbes? Quid inter **Indos Persasque Macedonicus** sermo? (...)
2. **Atheniensis in Asia** turba est; (...) totum **Italiae** latus quod infero mari adluitur **maior Graecia** fuit. **Tuscos Asia** sibi vindicat; **Tyrii Africam** incolunt, **Hispaniam Poeni**; **Graeci** se **in Galliam** inmiserunt, **in Graeciam Galli**; **Pyrenaeus Germanorum** transitus non inhibuit (...).
7. **Romanum imperium** nempe auctorem exulem respicit, quem profugum capta patria, exiguas reliquias trahentem, necessitas et victoris metus longinqua quaerentem **in Italiam** detulit. Hic deinde populus quot colonias in omnem provinciam misit ! ubicumque vicit **Romanus**, habitat.

2) ISIDORUS HISPALENSIS (570-636): Etymologiarum liber XIV de terra et partibus, II. de orbe.

[1] [Orbis a rotunditate](#) circuli dictus [est], quia sicut rota est (...). Vndique enim **Oceanus** circumfluens eius in circulo ambit fines. Divisus est autem trifarie: e quibus una pars **Asia**, altera **Europa**, tertia **Africa** nuncupatur. [2] Quas tres partes orbis veteres non aequaliter diviserunt. Nam **Asia** a meridie per orientem usque ad septentrionem pervenit; **Europa** vero a septentrione usque ad occidentem; atque inde **Africa** ab occidente usque ad meridiem. [3] Vnde evidenter orbem dimidium duae tenent, **Europa et Africa**, alium vero dimidium sola **Asia**; sed ideo istae duae partes factae sunt, quia inter utramque **ab Oceano mare Magnum** ingreditur, quod eas intersecat. Quapropter si in duas partes orientis et occidentis orbem divides, **Asia** erit in una, in altera vero **Europa et Africa**.

**La carte du monde selon Ptolémée
(II^{ème} siècle après J.C.)**

CAPITULUM II: ASTRA ET CAELUM
(ASTRONOMIA / ASTROLOGIA – SCIENTIA / FABULA)
vel quomodo adhuc nunc supersint dei Romani !

1) **J. FIRMICUS MATERNUS (IV^o s.):** [Matheseos seu astronomicorum liber II, I, 1-3 et II, VI, 2-13 \(primae sententiae\).](#)

- I. DE SIGNIS XII :

1. Zodiacus orbis, in quo duodecim signa infixata sunt, per quem quinque planetae, Sol etiam et Luna cursus suos dirigunt, obliqua semper agitatione torquetur. 2. Signa autem ipsa duodecim his nominibus nominantur : Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius et Pisces. 3. Horum signorum diversa sunt genera, nam alia sunt ex his masculina, alia feminina; masculina itaque sunt Aries, Gemini, Leo, Libra, Sagittarius, Aquarius; feminina vero Taurus, Cancer, Virgo, Scorpius, Capricornus, Pisces.

- **VI.2-13.** Arietis dominus est Mars... Tauri domina est Venus... Geminorum dominus Mercurius est... Cancrī domina est Luna... Leonis Sol est dominus... Virginis Mercurius dominus est... Librae domina est Venus... Scorpii dominus est Mars... Sagittarii dominus est Iuppiter... Capricorni dominus est Saturnus... Aquarii dominus est Saturnus... Piscium dominus est Iuppiter."

(Aliis verbis : "Est itaque Solis Leo et in hoc signo habet domicilium et potestatem; Lunae Cancer... Saturnus habet domicilium in Aquario et Capricornio, ex quibus Aquarius masculinum (signum) est, Capricornus femininum. Iuppiter in Sagittario et Piscibus habet domicilium, sed ex his unum (signum) masculinum est, Sagittarius, femininum vero Pisces", cet. Liber II, II, 3-5)

2) **NICOLAUS COPERNICUS (1473-1543):** [Commentariolus ; de ordine orbium.](#)

- Commentariolus :

Prima petitio : Omnium orbium caelestium sive sphaerarum unum centrum non esse.

Secunda petitio : **Centrum terrae non esse centrum mundi**, sed tantum gravitatis et orbis Lunaris.

Tertia petitio : Omnes orbis ambire Solem, tanquam in medio omnium existentem, ideoque **circa Solem esse centrum mundi**.

- Autographus *De revolutionibus (fol.9v)*

- 1 stellae fixae
- 2 Saturnus
- 3 Iuppiter
- 4 Mars
- 5 Tellus
- 6 Venus
- 7 Mercurius
- Sol

CAPITULUM III: ORIGO MUNDI (MYTHOLOGIA / THEOLOGIA)
vel Latinitas antiqua versus christiana

1) PRIMUS MYTHOGRAPHUS VATICANUS: Liber II, 1 (*) (Fabula Saturni et eius filiorum).

1. Saturnus Polluris **filius** dicitur... **3. Habet ex Rhea tres filios, Iovem, Neptunum, Plutonem.** **5. Hi fratres postea mundum totum sibi dividunt: Iuppiter caelum, Neptunus mare, Pluto infernum occupat.** **6.** Et quod singuli fratres potentiam in regno habere viderentur, aliquid indicii gerunt: Iuppiter trifidum fulmen, Neptunus tridentem, Pluto tricerberum.

2) VULGATA HIERONYMI: Liber Genesis, I, 1-31 (*).

1 In principio *creat Deus caelum et terram.* [...]
3 *Dicitque Deus* : "Fiat lux". Et facta est lux. [...]
5 *Appellatque lucem Diem* et tenebras **Noctem**. Factumque est vespere et mane, dies unus.
6 *dicit quoque Deus* : "Fiat firmamentum" [...]
7 *Et facit Deus firmamentum* [...].
8 *Vocatque Deus firmamentum Caelum*. Et factum est vespere et mane, dies secundus.
9 *Dicit vero Deus* "congregentur aquae quae sub caelo sunt in locum unum et appareat arida". Factumque est ita.
10 *Et vocat Deus aridam Terram* congregationesque aquarum *appellat* Maria. [...]
11 *Et ait* : "Germinet **terra herbam** [...] et **lignum** [...]".
12 *Et profert terra herbam* [...] lignumque [...].
13 *Et factumque est vespere et mane, dies tertius*.
14 *Dicit autem Deus* : "Fiant luminaria in firmamento caeli ut dividant diem ac noctem et sint in signa et tempora et dies et annos,
15 ut luceant in firmamento caeli et inluminent terram". Et factum est ita. [...]
19 *Et factum est vespere et mane, dies quartus*.
21 *Creatque Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem, quam producunt aquae* [...], et omne volatile [...].
23 *Et factum est vespere et mane, dies quintus*. [...]
25 *Et facit Deus bestias terrae* [...] et iumenta et omne reptile terrae [...].
27 *Et creat Deus hominem ad imaginem suam ; ad imaginem Dei creat illum ; masculum et feminam creat eos.* [...]
31 *Videtque Deus cuncta, quae fecit, et ecce sunt valde bona. Et factum est vespere et mane, dies sextus*.

() Fere omnia verba autentici textus – italicis litteris hic notata - in praesens tempus mutata sunt. Discipulis ad capitulum XXI progressis veras formas (tempore praeterito perfecto) redintegrare licebit.*

CAPITULUM IV: ORDO MUNDI HUMANI

1) EVANGELIUM SECUNDUM MATTHAEUM, VIII, 5-11:

5 Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum [= Iesu] **centurio** rogans eum

6 et dicens: « **Domine, puer meus iacet in domo, paralyticus**, et male torquetur ».

7 Et ait illi [Iesus]: « Ego veniam et curabo eum ».

8 **Et respondens centurio ait: « Domine, non sum dignus**, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.

9 Nam et **ego homo sum sub potestate, habens sub me milites, et dico** huic: "**vade**" et **vadit**, et alii: "**veni**" et **venit**, et servo meo: "**fac hoc**" et **facit** ».

10 Audiens autem Iesus miratus est et sequentibus se dixit: « Amen dico vobis: apud nullum [= *nullum hominem*] inveni tantam fidem in Israel.

11 Dico autem vobis quod **multi ab oriente et occidente** venient et recumbent **cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum**;

12 **fili** autem **regni** eicientur **in tenebras exteriores**: ibi erit fletus et stridor dentium ».

13 Et dixit Iesus centurioni: « Vade; sicut credidisti fiat tibi ». Et sanatus est puer in hora illa.

2) ALCUINUS : Epistula 2.5 ad Aethelredum Northumbriae regem (774-788):

Domino dilectissimo Aethelredo regi Alchuine diaconus salutem.

Propter familiaritatem dilectionis familiares tibi soli **litteras scribere** curavi, et **quia** semper te amabo semper te ammonere (= *admonere*) non cessabo, ut Dei voluntati subditus Dei protectione dignus efficiaris (...).

Non est (homo) liber vel nobilis qui peccatis serviet, dicente Domino, "Omnis **qui facit peccatum servus est peccati**." Non decet te in solio sedentem regni rusticis **vivere** moribus. Ira tibi non dominetur sed ratio. Misericordia te amabilem faciat, non crudelitas odibilem. Veritas audiatur ex ore tuo, non falsitas (...).

Iustitia omnes tuos exornet **actus**. (...) Noli, noli rapere aliena ne te propria perdas. **Deum time**, qui dixit, "In quo enim iudicio iudicabitis, iudicabitur de vobis."

Ama Deum Christum et [*ama*] eius oboedire mandatis, quatenus (= *ut*) illius misericordia tibi tuisque filiis et amicis in benedictione conservet regnum quod te habere voluit et gloriam futurae beatitudinis concedere dignetur.


Deus omnipotens regni felicitate, morum dignitate, longaeva prosperitate te florere faciat, **dilectissime fili**.

In caelo :

*Ordo mundi humani
tempore Romanorum*

*Ordo mundi humani
Mediaevali tempore*

In orbe terrarum :



CAPITULUM V : HISTORIA SAECULORUM


1) AULUS GELLIUS: [NOCTES ATTICAE, liber XVII, 21, 3](#): de Homero et Hesiodo.

3. (...) De Homero et Hesiodo, inter omnes fere scriptores, constitit aetatem (= *vitam*) eos egisse vel isdem fere temporibus (= *eisdem fere annis*) vel Homerum aliquanto antiquiorem, utrumque tamen ante Romam conditam vixisse, Silviis Albae regnantibus, **annis post bellum Troianum**, ut Cassius **in primo annalium (*libro*)** de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit, **plus centum atque sexaginta** (= CLX), **ante Romam autem conditam**, ut Cornelius Nepos **in primo chronicorum (*libro*)** de Homero dixit, **annis circiter centum et sexaginta**.

2) [CHRONICON LEODENSE \(ANNO 1402\)](#):

"Anno igitur imperii Augusti XLII^o, anno vero ab urbe condita VIIc LII^o, ab Olympiade anno C^oXCIII^o, revolutis ab Adam quinque milibus CXCIX annis, (...) anno XXXII^o regni Herodis regis Iudeorum, octavo kalendas Ianuarii, in introitu signi capricorni, media nocte, prima hora diei dominicae, **natus est Iesus Christus, filius Dei ex Maria virgine**, secundum carnem filius David, **in Bethleem Iude** (= *Iudaeae*)."

(Eug.Bacha, la Chronique Liégeoise de 1402, Bruxelles 1900, p.1-2)



CAPITULUM VI: EXPLORATIO MUNDI

1) [L. ANNAEUS SENECA](#) (SENECA RHETOR): SUASORIAE I, 1 ET 3.

1. (*Deliberatur Alexander, an Oceanum naviget*)

[1] (...) Nihil infinitum est nisi Oceanus. Aiunt fertiles **in Oceano** iacere terras **ultraque Oceanum** rursus alia litora, alium nasci orbem, nec usquam rerum naturam desinere sed semper **inde, ubi** desisse videatur, novam exurgere. facile ista finguntur, **quia Oceanus navigari non potest** (...): **post omnia** Oceanus, **post Oceanum** nihil. [3] Terrae quoque suum finem habent et ipsius mundi aliquis occasus est. nihil infinitum est. (...) Alexander orbi magnus est, Alexandro orbis angustus est.

2) [EPISTULA CHRISTOPHORI COLUMBI](#) (29.04.1493, post primum reditum)

(ad magnificum dominum Raphaellem Sanxis, eiusdem serenissimi Regis thesaurarium, missa, quam nobilis ac litteratus vir Aliander de Cosco ab Hispano ideomate in latinum convertit tercio Kalendas Maii .M.cccc.xciii. Pontificatus Alexandri Sexti anno primo.)

Tricesimo tercio die postquam **Gadibus** discessi (1), **in mare Indicum** perveni, **ubi** plurimas **insulas** innumeris habitatas hominibus reperi. Quarum omnium pro felicissimo Rege nostro, praeconio celebrato et vexillis extensis, contradicente nemine, possessionem accepi. **Primaeque** earum divi Salvatoris (2) **nomen imposui**, cuius fretus auxilio tam ad hanc quam ad ceteras alias pervenimus. **Eam vero Indi Guanahanyn vocant**. Aliarum etiam unamquamque **novo nomine** nuncupavi, quippe aliam **insulam Sanctae Mariae Conceptionis** (3), aliam **Fernandinam** (4), aliam **Hysabellam** (5), aliam **Iohannam** et sic de reliquis **appellari** iussi.

(1) 12.10.1492, secunda hora post mediam noctem. (2) San Salvador, hodie Watling (USA). (3) Santa Maria de la Conception, hodie Rhum Cay (USA). (4) Fernandina, hodie Long island (USA). (5) Isabela, hodie Crooked (USA). Omnes hae insulae hodie "Bahamas" vocantur.

CAPITULUM VII: HABITATIONES

1) [SENECA PHILOSOPHUS](#): Epistulae morales ad Lucilium LXXXVI, 1, 4-5, 8.

1. **In** ipsa Scipionis Africani **villa** iacens haec **tibi** scribo (...)

4. Vidi **villam** exstructam lapide quadrato, **murum** circumdatum silvae, turres quoque in propugnaculum villae(...), **cisternam** (...), **balneolum angustum, tenebricosum** ex consuetudine antiqua (...).

5. (...) **in hoc angulo** ille 'Carthaginis horror' (...), abluerat corpus laboribus rusticis fessum. **Sub hoc** ille **tecto** tam **sordido** stetit, **hoc** illum **pavimentum** tam vile sustinuit: at nunc quis est qui sic **lavari** sustineat? (...)

8. **In hoc balneo** Scipionis minimae sunt rimae (magis (= *potius*) quam fenestrae); at nunc blattaria **vocant** (= *vocantur*) **balnea**, si qua non ita aptata sunt ut totius diei solem **fenestris amplissimis** recipiant, nisi (*homines*) et lavantur simul et colorantur, nisi **ex solio** agros ac maria prospiciunt.

CAPITULUM VIII: CIVITATES

1) M. VALERIUS MARTIALIS: epigrammatum liber xii, 57: urbs terrestria

Nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi
In urbe locus est pauperi. Negant vitam
Ludi magistri mane, nocte pistores,
Aerariorum marculi die toto; (...)
Numerare pigri damna quis potest somni? (...)
Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire, (...)
Cui plana summos despicit domus montes,
Et rus in urbe est vinitorque Romanus (...)
Et in profundo somnus, et quies nullis
Offensa linguis, nec dies nisi admissus.
Nos transeuntis risus excitat turbae,
Et ad cubilest Roma. Taedio **fessis** (nobis)
Dormire quotiens libuit, imus ad villam.

*In urbe (= Romae), ei qui pauper est
nullus est locus in quo cogitat vel quiescit.
Nam eius vitam negant ludi magistri, cet.*

*Quis potest numerare damna pigri somni?
(ista // haec // illa)
Es homo cui est plana domus sub montes
= qui habet domum sub montes...
cui est somnus profundus, et quies, cet...
= qui habet somnum profundum, cet...*

*Et tota Roma prope nostrum cubile est !
(Cf capitulum quod sequitur !)*

2) APOCALYPSIS IOANNIS XXI, 19-23: Ierusalem caelestis

19 **Fundamenta muri** civitatis omni lapide pretioso ornata (*sunt*); **fundamentum primum** (*est*) iaspis, **secundus** (= *secundum est*) sapphyrus, **tertius** carcedonius, **quartus** zmaragdus, **20 quintus** sardonix, **sextus** sardinus, **septimus** chrysolitus, **octavus** berillus, **nonus** topazius, **decimus** chrysoprassus, **undecimus** hyacinthus, **duodecimus** amethystus;
21 et **duodecim portae duodecim margaritae sunt** (...) et platea civitatis (*est*) aurum mundum (= *purum*) tamquam vitrum perlucidum;
22 et **templum** non vidi **in ea** (*civitate*); **Dominus** enim Deus omnipotens **templum illius est** et agnus;
23 et civitas non eget sole neque luna ut luceant **in ea**; nam claritas Dei inluminavit **eam** et **lucerna** (= *lumen*) **eius** est agnus.

CAPITULUM IX: RURI

1) P.VERGILIUS MARO: [GEORGICA, LIBER II](#), v.457-461 / 466-473.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis
fundit humo facilem victum **iustissima tellus**.
Si non ingentem **foribus** domus alta **superbis**
mane salutantum **totis** vomit **aedibus** undam,(...)
at **secura quies** et nescia fallere vita,
dives **opum variarum**, at latis otia fundis --
speluncae vivique lacus et frigida Tempe
mugitusque boum **mollesque sub arbore somni** --
non absunt; illic saltus ac lustra ferarum
et **patiens** operum exiguoque **adsueta iuventus**,
sacra deum **sanctique patres**; extrema **per illos**
iustitia (*) excedens terris **vestigia fecit**.

*agricolas ! quibus... tellus (= terra) ipsa
fundit (= offert) facilem victum (= cibum).
Si (illis) non est alta domus superbis ostiis
(quae) mane vomit e totis membris turbam...
at (= tamen) illis non absunt et quies et vita
plena donorum, et otia (in) latis campis, cet.*

(*) Aureo aevo, Iustitia inter homines habitabat.

2) ALANUS INSULENSIS (ALAIN DE LILLE) (1116-1203): [Anticlaudianus, IX](#), 384-386 / 399-409.

In hoc opere, Medievalis poeta Romano et pagano Claudiano poetae respondet. Narrat pugnam inter vitia et virtutes (cf Prudentii Psychomachia, ca 400). Homo ab ipsa Natura et Deo auxilium accipit ad victoriam. Nam Natura est paradisus unde Adam et Eve expulsii sunt.

Pugna cadit, cedit iuveni Victoria, surgit
Virtus, succumbit Viciium, Natura triumphat,
Regnat Amor, nusquam Discordia, Fedus ubique.
(...)

Non **arbor** cultrum querit, non **vinea** falcem,
Sed fructus dat sponte novos et vota coloni
Fertilitate premit. Spes vincitur ubere fructu,
Gratis poma parit **arbor**, **vitisque** racemos,
Et sine se natas miratur **pampinus** uvas.
E tunicis egressa suis **rosa** purpurat ortos,
Nec spinam matrem redolet, sed sponte creata
Pullulat, atque novos sine semine prodit in ortus.
Sic **flores alii** rident **varioque colore**
Depinguit terram **florum primeva iuventus**.

Mediaevales scriptiones :

*(Viciium = Vitium)
(Fedus = foedus, eris // pax, pacis)*

(querit = quaerit)

(ortos = hortos < hortus, i)

(primeva = primaeva)

CAPITULUM X: BESTIAE ET HOMINES

1) C.PLINIUS CAECILIUS SECUNDUS: [Epistulae, liber IX, 33](#): de delphino coloniae Hipponensis .

2. Est in Africa Hipponensis colonia mari proxima. (...)

3. *Omnis hic aetas piscandi navigandi atque etiam natandi studio tenetur, maxime pueri, quos otium lususque sollicitat. His gloria et virtus altissime provehi: victor ille, qui longissime ut litus ita simul natantes reliquit.*

4. *Hoc certamine puer quidam audentior ceteris in ulteriora tendebat. Delphinus occurrit, et nunc praecedere (= praecedit) puerum nunc sequi nunc circumire, postremo subire deponere iterum subire, trepidantemque perferre primum in altum, mox flectit ad litus, redditque (puerum) terrae et aequalibus.*

5. Serpit per coloniam fama; concurrere (= concurrunt) omnes, ipsum puerum tamquam miraculum aspicere, interrogare audire narrare. Postero die obsident litus, prospectant mare. (...) Natant pueri, inter hos ille, sed cautius. Delphinus rursus (venit) ad tempus, rursus ad puerum. Fugit ille cum ceteris. Delphinus, quasi invitet et revocet, exsilit, mergitur, variosque orbis implicat expeditque.

6. Hoc (evenit) altero die, hoc tertio, hoc pluribus (diebus)(...). Accedunt (homines) et alludunt et appellant, tangunt etiam (...). Crescit audacia experimento. Maxime puer, qui primus expertus est, adnatat (delphino) nanti, insilit tergo (= in tergum), fertur referturque, agnoscere se amari putat, amat ipse; neuter timet, neuter timetur; huius fiducia, mansuetudo illius augetur.

2) SANCTUS ADOMNAN: [VITA SANCTI COLUMBAE](#) (ca 690): de cuiusdam aquatilis bestiae virtute orationis beati viri repulsione) (in lacu qui nunc appellatur Loch-Ness)

Alio quoque in tempore, cum vir beatus (= vir sanctus = Columba) in Pictorum provincia per aliquot moraretur dies, necesse habuit fluium (= fluvium) transire Nesam (fluvium Nesa = Loch-Ness). Ad cuius cum accessisset ripam alios ex acculis (1) aspexit misellum humantes homunculum, quem, ut ipsi sepultores ferebant, quaedam paulo ante nantem praeripiens bestia mersu momordit seivissimo. Cuius miserum cadaver, sero licet, quidam in alno subvenientes porrectis praeripere uncinis. Vir contra beatus, haec audiens, praecipit ut aliquis ex comitibus enatans caupallum (2) in altera stantem ripa ad se navigando reducat. Quo sancti audito viri praecepto, Lugneus mocu-Min nihil moratus obsecundans, depositis excepta vestimentis tunica, inmittit se in aquas. Sed bilua (3)(...) in profundo fluminis latitabat. Sentiens eo nante turbatam (esse) supra aquam, subito emergens ad hominem natantem cum ingenti fremitu aperto cucurrit ore. Vir tum beatus videns, omnibus qui inerant (4) tam barbaris quam etiam fratribus nimio terrore percussis, cum salutare sancta elevata manu in vacuo aere crucis pinxisset (5) signum invocato dei nomine, feroci imperavit bestiae, dicens: "Noles (= noli) ultra progredi, nec hominem tangas (= noli hominem tangere). Retro citius revertere." Tum vero bestia hac sancti audita voce retrorsum acsi funibus retraheretur, (...) fugit tremefacta. (...) Fratres tum recessisse (6) videntes bestiam, Lugneumque ad eos intactum in navicula reversum (esse), cum ingenti admiratione (7) glorificaverunt deum in beato viro. Sed et gentiles barbari (...) eiusdem miraculi magnitudine quod et ipsi viderant compulsi deum magnificaverunt christianorum.

(1) = incolis; (2) = caupulum; (3) = belua; (4) = aderant; (5) = pinxisset; (6) = recessisse; (7) = admiratione

CAP.XI : ARTES HUMANAЕ (1) : MEDICINA

1) A.CORNELIUS CELSUS : ARTIUM LIBER VI ITEM MEDICINAE PRIMUS

(E prooemio excerpta, 1-9 :)

Ut alimenta sanis corporibus agricultura, sic sanitatem aegris (*corporibus*) medicina promittit. (...) Apud Graecos magis quam in ceteris nationibus exculta est, (...) paucis ante nos saeculis: vetustissimus auctor Aesculapius *celebratur* qui (...) in deorum numerum receptus est. Huius deinde duo filii Podalirius et Machaon bello Troiano ducem Agamemnonem secuti non mediocrem opem commilitibus suis attulerunt. **Quos** tamen Homerus non in pestilentia neque in variis generibus morborum aliquid *afferre* auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro et medicamentis mederi **solitos esse proposuit**. (...) Eodem vero auctore disci potest morbos tum ad iram deorum immortalium **relatos esse**. Post eos (...), in tres partes medicina diducta est, ut una esset quae victu, altera quae medicamentis, tertia quae manu mederetur. Primam diaththikh n secundam farmakeutikhn tertiam xeirourgian Graeci nominarunt.

2) Intermedium III comediae a MOLIERE scriptae q.i Le malade imaginaire (1673):

"C'est une cérémonie burlesque d'un homme qu'on fait médecin en récit, chant, et danse."

<p style="text-align: center;">Praeses</p> <p><i>Sçavantissimi</i> doctores, Medicinae professores, Qui hic <i>assemblati estis</i>, Et vos, <i>altri Messiores</i> Sententiarum Facultatis Fideles executores, Chirurgiani et apothicari, Atque tota <i>compania aussì</i>, Salus, honor, et <i>argentum</i>, Atque bonum appetitum.(...)</p> <p style="text-align: center;">Primus Doctor</p> <p>Si mihi licentiam dat Dominus Praeses, Et tanti docti Doctores, Et assistantes illustres, <i>Très sçavanti Bachaliero</i>, Quem estimo et honoro, <i>Domandabo</i> causam et rationem quare Opium <i>facit</i> dormire.</p> <p style="text-align: center;">Bachelierus</p> <p>Mihi a docto Doctore <i>Domandatur</i> causam et rationem quare Opium <i>facit</i> dormire : A <i>quoi</i> respondeo Quia est in eo Virtus dormitiva, Cuius est natura Sensus assoupire.</p> <p style="text-align: center;">Chorus</p> <p>Bene, bene, bene, bene respondere : Dignus, dignus est <i>entrare</i> In nostro docto <i>corpore</i>.</p>	<p style="text-align: center;">Secundus Doctor</p> <p><i>Cum permissione</i> Domini Praesidis, Doctissimae Facultatis, (...) <i>Domandabo</i> tibi, docte <i>Bacheliere</i>, Quae <i>sunt</i> remedia Quae in maladia <i>Ditte</i> hydropisia <i>Convenit</i> facere.</p> <p style="text-align: center;">Bachelierus</p> <p>Clysterium donare, Postea seignare, <i>Ensuitta</i> purgare.</p> <p style="text-align: center;">Chorus</p> <p>Bene, bene, bene, bene respondere : Dignus, dignus est <i>entrare</i> In nostro docto <i>corpore</i>.</p> <p style="text-align: center;">Tertius Doctor</p> <p>Si bonum <i>semblatur</i> Domino Praesidi, Doctissimae Facultati, Et <i>companiae</i> praesenti, <i>Domandabo</i> tibi, docte <i>Bacheliere</i>, Quae remedia eticis, Pulmonicis, atque asmaticis, <i>Trovas à propos</i> facere.</p> <p style="text-align: center;">Bachelierus</p> <p>Clysterium donare, Postea seignare, <i>Ensuitta</i> purgare.</p> <p style="text-align: center;">Chorus</p> <p>Bene, bene, bene, bene respondere : Dignus, dignus est <i>entrare</i> In nostro docto <i>corpore</i>.</p>
--	--

CAP.XII : ARTES HUMANAE (2) : BELLUM AGERE

1) P.(FLAVIUS) VEGETIUS RENATUS : [EPITOMA REI MILITARIS](#)

Cur exercitus Romanus ceteris exercitibus superior fuerit

Nulla alia re (= *causa*) videmus populum Romanum orbem subegisse terrarum nisi armorum exercitio, disciplina castrorum usuque militiae. Quid enim adversus Gallorum multitudinem paucitas Romana *valuisse*? Quid adversus Germanorum proceritatem brevis *potuisset* audere? Hispanos quidem non tantum numero sed et viribus corporum *superiores fuisse* manifestum est; Graecorum artibus prudentiaque semper impares *fuiimus*; Graecorum artibus prudentiaque nos vinci nemo *dubitavit*. Sed adversus omnia *utilius fuit* tironem sollerter eligere, jus armorum docere, cotidiano exercitio roborare, quaecumque evenire in acie atque proeliis possunt, omnia in campestri meditatione praenosceri, severe in desides vindicare.

Quantum castra Romanis maximo usui fuerint

Castrorum quoque munitionem debet tiro condiscere; nihil enim neque tam **salutare** neque tam **necessarium** invenitur in bello; quippe, si recte constituta sunt castra, ita intra vallum securi milites dies noctesque peragunt, etiam si hostis obsideat, quasi muratam civitatem videantur secum ubique portare.

2) IULIANUS TOLETANUS : [Historia excellentissimi Wambae regis](#) de expeditione et victoria, qua revellantem contra se provinciam Galliae celebri triumpho perdomvit (673).

Exercitus Wambae, Gothorum regis, Nemausum, cuius intra muros seditiosi refugerunt, oppugnat et expugnat :

18. Sed dum [= cum] nostri **constantius** dimicantes uictoriam suam recrastinari dolerent, **acriori animositate insurgunt**, uictos se per omnia deputantes, si cito non uincerent. Vnde ferociori [= ferociori] **incensione** commoti, **usque in horam fere diei quintam** continuis proeliorum ictibus moeniam (= muros) ciuitatis inlidunt, imbres lapidum cum ingenti fragore dimittunt, subposito igne portas incendunt, murorum aditibus minutis inrumpunt. Deinde ciuitatem gloriose intrantes, **uiam sibi ferro aperiunt**. **At ubi feroces nostrorum animos sustinere (hostes sive seditiosi) non possunt, intra arenas, quae ualidiori muro, antiquioribus aedificiis [= aedificiis] cingebantur, se muniendos includunt.**

CAP.XIII : ARTES HUMANAE (3) : ARITHMETICA

1) BOETHIUS : INSTITUTIO ARITHMETICA, I, 4,1.

Definitio numeri paris et imparis secundum Pythagoram.

(1) Illa autem secundum pythagoricam disciplinam talis est: par numerus est qui sub eadem divisione potest in maxima parvissimaque dividi, maxima spatio, parvissima quantitate...

(2) Hoc est autem exemplar: (...) si par numerus qui est VIII *dividitur* in IIII atque alios IIII, nulla *est* alia divisio quae majores partes *efficit*; porro autem nulla *est* alia divisio quae totum numerum minore *dividit* quantitate. In duas enim partes divisione nihil minus est. Cum enim quis (numerus) *est* trina divisione partitus, spatii quidem summa minuitur, sed numerus divisionis augetur.

(3) (...) Paris divisio spatio est maxima, parvissima quantitate.

(4) Impar vero numerus est cui hoc quidem accidere non potest, sed cuius in duas inaequales summas naturalis est sectio.

$VIII \div II = IIII$. Numerus divisionis sive "quantitas" = II. Numerus partis sive "spatium" = IIII.

Quaedam alia vocabula a Boethio usitata :

Nominum declinatio	nomina	adiectiva	verba
Declinatio I	differentia, ae		differre
	geometria, ae	<i>geometricus, a, um</i>	
	forma, ae / figura, ae		
Declinatio II	mensura, ae		metiri
	triangulus/um, i	<i>triangularis, e</i>	
	quadratus/um, i	<i>quadratus, a, um</i>	
Declinatio III	cybus, i	<i>cybicus, a, um</i>	
	divisio, onis, f	<i>divisibilis, e</i>	dividere
	multiplicatio, onis, f	<i>multiplex, icis</i>	multiplicare
Declinatio IV	aequalitas, atis, f	<i>aequus, a, um / aequalis, e</i>	aequare
	latus, eris, n	<i>latus, a, um</i>	
	gradus, us, m	<i>gradatus, a, um</i>	
Declinatio V	series, ei, f (numerorum)		
	species, ei, f		
	superficies, ei, f		

2) RENATUS DESCARTES : MEDITATIO I, 8 (1641).

De iis (rebus) quae in dubium revocari possunt.

8.

Quapropter ex his forsitan non male *concludimus* **Physicam, Astronomiam, Medicinam, disciplinasque** alias omnes, quae a rerum compositarum consideratione dependent, dubias quidem esse; atqui **Arithmetica, Geometria, aliasque** ejusmodi (*disciplinas*), quae nonnisi de simplicissimis & maxime generalibus rebus tractant, (...) **aliquid certi atque indubitati continere**. Nam sive vigilem, sive dormiam, duo & tria simul juncta sunt quinque, quadratumque non plura habet latera quam quatuor; nec fieri posse videtur ut tam perspicuae veritates in suspicionem falsitatis incurrant.